



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Proponitur, & resolvitur Controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

sonæ Verbi ex eo non constituere cum operatione creata Christi meritum simpliciter infinitum, sed solum secundum quid; quia, ut esset simpliciter infinitum, deberet esse tale, ut unum Christi meritum non posset esse majus alio; cum autem unum Christi meritum possit esse majus alio, ut constat ex eo, quod possit crescere ex parte operationis creatæ; siquidem actus charitatis perfectior est actu temperantiæ: exinde meritum ex actu temperantiæ constitutum non tantum erit in ratione meriti, quantum erit meritum constitutum ex actu charitatis; unde non erit simpliciter infinitum, sed infinitum secundum quid.

430. **Contrà 1.** Licet actus charitatis perfectior sit entitativè actu temperantiæ, ut conjunctum ex persona Verbi, & actu charitatis, non est absolute perfectius conjuncto ex actu temperantiæ, & eadem persona Verbi: ergo unum meritum Christi non est absolute perfectius alio. Probatum antec. Perfectio, qua actus charitatis excedit actum temperantiæ, eminenter continetur in persona Verbi: ergo ex actu charitatis, & persona Verbi nequit fieri conjunctum perfectius conjuncto ex eadem persona Verbi, & actu temperantiæ. Conseq. tener, quia, ut una res sit absolute perfectior aliâ, non sufficit, quod habeat aliquam perfectionem, quæ formaliter non sit in aliâ; aliter conjunctum ex Deo, & creatura esset absolute perfectius solo Deo, cum perfectio creata, E. G. perfectio penitentiæ non contineatur formaliter in DEO, sed ulterius requiritur, quod habeat aliquam perfectionem, quæ neque formaliter, neque eminenter reperitur in altera; arqui conjunctum ex actu charitatis, & persona Verbi nullam includit perfectionem, quæ non contineatur eminenter in conjuncto ex eadem persona Verbi, & actu temperantiæ; ergo &c.

431. **Contrà 2.** Christus Dominus constitutus ex humanitate, & persona Verbi tantæ dignitatis, & perfectionis est, acsi constitueretur ex persona Verbi, & natura Angelica: ergo meritum consurgens ex actu temperantiæ, & persona Verbi tantæ dignitatis, & perfectionis est, quantæ sit meritum consurgens ex actu charitatis, & eadem persona Verbi. Antec. certum est apud omnes; quia Christus, sive constituatur ex natura humana, sive Angelica, est eadem persona divina. Conseq. verò probatur. Ideo Christus æquè perfectus, sive constituatur ex natura humana, sive Angelica, quia perfectio, qua natura Angelica excedit humanam, eminenter continetur in persona Verbi utriusque conjuncti constitutiva: imò in persona Verbi reperitur tota ea perfectio deputata ab omni imperfectione sub eodem modo perfecti, quo actus charitatis excedit actum temperantiæ eminenter, continetur in persona Verbi utriusque meriti constitutiva: ergo utrumque meritum est æqualis dignitatis, & perfectionis.

Respondetis 1. cum Cardinali de Lugo dicitur spur. 6. à num. 10. meritum Christi non esse simpliciter infinitum in ratione meriti; quia habet aliquid, à quo limitatur, nempe ab actione creata, quæ minui, & augeri potest; sicut offensa non est simpliciter infinita; quia limitatur à cognitione creata: sicut enim offensa est major, vel minor in ratione offensæ juxta mensuram cognitionis; ita meritum Christi in ratione meriti erit majus, vel minus, juxta incrementum, vel decrementum actionis creatæ, licet semper sit æquale ratione personæ Verbi; unde non erit simpliciter infinitum in ratione meriti. Erat igitur (inquit Lugo) simpliciter infinitum in ratione valoris, quia licet non mereatur præmium simpliciter infinitum formaliter, hoc est, attenda dignitate operationis independentè à dignitate personæ, meretur tamen præmium simpliciter infinitum materialiter, quatenus ex se meretur præmium magnum respectu Christi, quod tale esse non potest, quin sit simpliciter infinitum.

Explicatur exemplò tota ista doctrina responsionis, ex his, quæ dixi in Tractatu de iustitia, & jure à num. 419. Beneficarii equidem ratione obsequii Ecclesiæ præstiti, possunt ex Beneficii fructibus licite accipere congruam sustentationem. Unde formaliter loquendò omnibus offertur æqualis merces sui laboris, scilicet victus, & sustentatio congrua; ut merces ista inæqualis materialiter est; siquidem contingere potest, ut aliquis vel propter infirmam valetudinem, vel propter robustiorem etiam naturam indigeat multò majori, vel pretiosiori victu, & sic possit ex fructibus beneficii multò plus sibi accipere, quàm alii possint. Patet in nostro casu actus creatus honestus meretur coram DEO magnum præmium; sed cum iste sit finitus, meritum formaliter loquendò non est simpliciter infinitum. At materialiter loquendò præmium, quod respectu unius puræ creaturæ est finitum; nam Christus est Deus, & coram Deo omnia præmia finita tanquam nihil reputantur. Unde meritum Christi, licet formaliter in ratione meriti sit finitum materialiter, tamen in ratione valoris evadit simpliciter infinitum.

Contrà 1. Ex nullo capite limitatur meritum Christi, ne sit simpliciter infinitum, licet limitetur offensa, ne evadat simpliciter infinita: ergo licet offensa non sit simpliciter infinita in ratione offensæ, meritum Christi erit simpliciter infinitum in ratione meriti. Prob. ant. Licet DEUS non sit forma, sed objectum offensæ, nec, ut est in se, contineat formaliter offensam, nec illam gravificet, nisi ut objectum cognitum ex dictis à num. 341. & ut etiam dicemus num. 445. at dignitas personæ, ut dignitas personæ est, & non ut cognita, constituit meritum; justus enim, quamvis invincibiliter ignoret, habere gratiam, nihilominus per actus liberos supernos meretur condignè apud DEUM, licet non peccet graviter coram DEO, qui in vincit

vincibiliter ignorat præceptum Dei; ergo licet Deus, ut objectum gravitans offensam limitetur à cognitione, Christus merens non limitatur, ne secundum totam suam dignitatem infirmam dignificet meritum. Conseq. patet; quia licet Deus ut cognitus non sit simpliciter infinitus, & non constituat offensam simpliciter infinitam in ratione offensæ, dignitas tamen personæ Verbi, ut est in se, constituit meritum simpliciter infinitum in ratione meriti. Confr. Dignitas personæ Verbi non limitatur ab actione creata, ne constituat meritum Christi simpliciter infinitè perfectum.

435. *Contra 2.* Dignitas personæ Verbi non solum constituit meritum in ratione valoris, sed etiam in ratione meriti; atqui per Te ex eo; quod dignitas personæ sit simpliciter infinita, constituit meritum in ratione valoris simpliciter infinitum; ergo etiam constituit meritum in ratione meriti simpliciter infinitum. Minor, & conseq. tenent; maj. verò constat, quia, ut docent Concilium Tridentinum, Pius V. Gregorius XIII. citatum. 386. & 389. nostra opera nullo modo possunt esse meritoria de condigno sine gratia habituali, quæ in parvis creaturis est dignitas requisita ad hunc statum personæ operantis, & merentis; ergo dignitas personæ operantis, & merentis non solum constituit meritum in ratione valoris, sed etiam in ratione meriti. Confirmatur. Vis merendi, & satisfaciendi non distinguitur à merito, & satisfactione; sed hæc vis, utpote consistens formaliter in dignitate personæ Verbi, est simpliciter infinita; ergo jus merendi in merito Christi Domini est simpliciter infinita, ac proinde in ratione meriti evadet simpliciter infinitum.

436. *Contra 3.* & assumo exemplum, quo utitur Adversarius. Nullum præmium dici potest magnum, nisi relatè ad aliud minus, ut ex terminis constat. Nunc sic: vel obsequium Beneficarii simul cum qualitate personæ meretur præmium magnum respectu aliorum, vel magnum respectu sui: sic etiam operatio Christi simul cum Divinitate personæ, vel meretur præmiu magnum respectu aliorum, vel magnum respectu sui. Si primum, ergo neque attenda qualitate personæ debentur Beneficario redditus pinguioribus his, qui debentur aliis, sed illi gratiosè offeruntur ab Ecclesia, ac proinde nec Christo Domino debetur præmium majus eo, quod debetur reliquis iustis, sed gratiosè offerretur illi majus præmium à Deo, quod & absurdum est, & contra Clementinam citatam num. 425. Si secundum; atqui nullum præmium est excogitabile, quod excedat vim meriti sui respectu Christi: ergo nullum est excogitabile præmium, quod non cadat sub meritum Christi, quod perinde est, ac dicere, meritum Christi in ratione meriti esse simpliciter infinitum; unde neque meritum Beneficarii, neque meritum Christi potest esse majus respectu aliorum in ratione valoris, quin etiam sit majus in ratione meriti.

437. *Respondebis 3.* ex aliis: personam Verbi unà cum operatione creata Christi constituere
R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

meritum simpliciter infinitum in ratione meriti, si sumatur meritum substantivè, & concretivè; secus autem, si sumatur adjectivè. *Contra tamen 1.* quia hoc solum est dicere, operationem creatam non esse simpliciter infinitam; exinde autem non inferitur, quod meritum constitutum ex actione creata, & dignitate Verbi non evadat simpliciter infinitum: ergo meritum Christi absolute sumptum, quatenus ex operatione creata, & dignitate Verbi constituitur, reverà est in ratione meriti simpliciter infinitum. *Contra 2.* Licet humanitas Christi Domini sit reverà finita, ac Christus Dominus ex humanitate, & dignitate Verbi constitutus est simpliciter infinitus, & quando de Christo loquimur, absolute dicendum esse simpliciter infinitum in ratione Christi: ergo eodem modo, quando de merito Christi loquimur, absolute dicendum est in ratione meriti simpliciter infinitum. *Contra 3.* Sicut Christus, sive adjectivè, sive substantivè accipitur, ipsissimus est ex parte objecti, eique extrinsecè advenit ex nostris actibus, quod adjectivè, vel substantivè consideretur; ita meritum Christi, sive adjectivè, sive substantivè accipitur, ipsissimum est ex parte objecti, eique extrinsecè advenit ex nostris actibus, quod adjectivè, vel substantivè consideretur: ergo sicut contingencia adveniens ex nostris actibus non impedit, ne debeamus dicere, quando de Christo absolute loquimur, quod sit simpliciter infinitus in ratione Christi, ita hæc contingencia non impedit, quando de Christi merito absolute loquimur, quod sit simpliciter infinitum in ratione meriti.

438. *Probat 2. conclusio.* Licet Christus includat humanitatem, quæ non est simpliciter infinita, nihilominus, quia includit personam Verbi simpliciter infinitam, est totum simpliciter infinitum: ergo licet meritum Christi includat operationem creatam, quæ non est simpliciter infinita, nihilominus, quia includit personam Verbi simpliciter infinitam, erit totum simpliciter infinitum. *Probat 3. conclusio.* Ideo Christus ratione Verbi est simpliciter infinitus, quia, licet personalitas Verbi non comunicetur humanitati per identitatem, comunicatur tamen per identitatem composito, ut extremum illius constitutum ab humanitate non vitiatum; sed etiam persona Verbi, licet non comunicetur per identitatem operationi creatæ, comunicatur tamen per identitatem merito Christi, utpote extremum illius constitutum, & ab operatione creata non vitiatum: ergo sicut Christus est simpliciter infinitus in ratione Christi, ita Christi meritum est simpliciter infinitum in ratione meriti.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

439. *Objicies 1.* Deus solus, utpote continens perfectionem absque ulla mixtura imperfectionis est perfectior, quàm aggregatum ex Deo, & creatura: ergo etiam dignitas Verbi, utpote
Pp re